



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Concilivm Toletanvm In Oppido Qvodam Hispaniae de Aranda, ad
reformandos cleri populique mores celebratum anno Domini MCCCCLXXIII.
tempore Sixti papae IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

nationibus apostolicis contrariis quibuscumque, quibus communiter vel diuissim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et ne de præmissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum ordinarii requisiti præsentem literas in ecclesiis consistentibus in eorum ciuitatibus & suarum diocesium locis insignibus, dum maior ibi multitudo populi ad diuina conuenerit, sermonibus ad populum mandent & faciant publicari. Præterea quia difficile foret præsentem literas ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre: etiam volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod earundem literarum transumpto manu publici notarii confecto, & authentico alicuius prælati ecclesiastici sigillo munito, ubique stetur, prout staretur eisdem originalibus literis, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis, damnationis, statuti, ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ~~ai~~ ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ 1483. pridie Nonas Septembris, pontificatus nostri anno decimotertio.

ANNO
CHRISTI
1473.

CONCILIVM TOLETANVM
IN OPPIDO QVODAM HISPANIÆ
de Aranda, ad reformandos cleri populique mores
celebratum anno Domini MCCCCLXXIII.
tempore Sixti papæ I V.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. <i>Quod archiepiscopi prouincialia in biennio, & episcopi synodalia annuatim saltem Concilia celebrent.</i> | II. <i>Quod rectores ecclesiarum habeant in scriptis articulos fidei &c. & publicent populo.</i> |
| III. <i>Quod non promoueantur ad sacros ordines non scientes loqui latinaliter.</i> | |

D iij

- IV. *Quod non admittantur clerici aliarum diocesum sine literis commendatitiis.*
- V. *Quod prelati non incedant publice sine roqueto, nec induantur sericis vestibus, nec calcient sotulares albos; & quod ad mensam ipsorum legantur sacra scriptura.*
- VI. *Quod non induantur clerici vestibus sericis rubeis vel viridibus, nec calcient sotulares albos, vel borsegnes albos vel rubeos, nisi cum nigris de super sotularibus.*
- VII. *Quod obseruentur dies dominici & festiui.*
- VIII. *Quod clerici non induantur luctuosis vestibus.*
- IX. *Processus qui debet fieri contra clericos qui publice tenent concubinam.*
- X. *Quod non scienti loqui latinaliter non conferantur parochiales ecclesia, nec canonicatus & dignitates.*
- XI. *Quod clerici non ludant ad taxillos.*
- XII. *Quod episcopi ter, & sacerdotes quater saltem in anno celebrent.*
- XIII. *Quod nulli predicent sine licentia prelatorum, & quod quastores legant dumtaxat literas quas sibi concesserint diocesani, nihilque aliud proponant.*
- XIV. *Quod clerici in minoribus deferant tonsuram vnius regalis, & habitum congruentem; alioquin perdant priuilegium: & quod litera ordinum presententur coram diocesani.*
- XV. *Quod clerici in sacris ordinibus constituti aut beneficiati non uiuant cum dominis temporalibus ad auxilia armorum prestanda.*
- XVI. *Quod non fiant nuptie, nec carnales commixtiones, nec solennitates tempore a iure vetito.*
- XVII. *Quod qui clandestine contraxerint, nisi minus quinque testes adfuerint, excommunicationis sententiam incurrant.*
- XVIII. *Quod qui violenter occupauerint possessiones beneficiorum, sint excommunicati ipso facto.*
- XIX. *Quod non fiant in ecclesiis representationes inhonesta, dum diuina aguntur.*
- XX. *Quod decedentes in duello careant ecclesiastica sepultura, & non dicantur pro eis diuina, nec recipiantur oblationes.*
- XXI. *Quod prohibentes tracturas decimarum &c. sint excommunicati.*
- XXII. *Quod raptores careant ecclesiastica sepultura.*
- XXIII. *Quod excommunicatus in vna diocesi euitetur in aliis.*
- XXIV. *Quod ciuitas vel villa de qua clerici fuerint expulsi, subiacent interdicto.*
- XXV. *Quod ordines gratiose concedantur.*
- XXVI. *Quod pena supradicta contra beneficiatos habeant locum etiam in rectoribus & dignitatibus.*
- XXVII. *Quod episcopi in suis diocesibus absoluant a censuris predictis.*
- XXVIII. *Quod he constitutiones infra duos menses publicentur, & deinde post quadraginta dies obligent.*
- XXIX. *Quod ponantur testes synodales in qualibet diocesi per prelatos, &c.*

ANNO
 CHRISTI
 1473.

CONSTITVTIONES REVERENDISSIMI IN

Christo patris ac domini Alphonsi Carrillo archiepiscopi Toletani, editæ in prouinciali Concilio per eum in oppido de Aranda cum suis suffraganeis celebrato.

PRÆFATIO.

QVONIAM a nascentis origine mundi ea ipsa humana conditio decliua ad malum fuisse dignoscitur, lex id eo prodita est, quæ mortalium deuios motus sua virtute reprimeret, ipsosque suo dirigeret conditori. Sed quia adhuc ipsa nouas semper conatur edere formas, quibus quæque sanctio etiam maturo digesta consilio non sufficit prouidere, ex quo morum subuersio in clero & populo frequenter obrepit, fuisse noscitur saluberrima superiorum auctoritas, quæ nouarum promulgationibus legum mortalium nouis machinationibus in dies occurrat, ac prouidi cultoris sarculo extirpet vitia, virtutes inferat, moresque reformet. Hoc sane calitus edocti inuententes Canonum conditores, prouide decreuerunt, sacrosancta ipsa prouincialia Concilia per metropolitanos antistites cum eorum suffraganeis annis singulis celebranda. Sed, proh dolor, generis inimicus humani tot calamitatum pressuris, totque turbationibus & arumnis vniuersam repleuit Hispaniam, vt tam pium sanctumque opus efficere, ac longissimis citra temporibus anterioribus nostris, & nobis penitus sit adempta facultas, ita vt eadem sacra Concilia, illorumque auctoritates pene obducere videatur obliuio in ecclesiæ iacturam non modicam & fidelium animarum. Nunc ergo nos, quem licet immeritum in patriarchali Toletana sede, ac in vniuersis Hispaniarum prouinciis diuina dignatio prætulit in primatem, amplissima ipsa sollicitudinis pars humeris nostris imposita, qua nedum super suas oues, sed super illarum pastores ab ipso Domino, cuius iudicia imperferutabilia sunt, nos conspicimus constitutum. Sæpenu-mero pulsauit cor nostrum inter huius mundi pressuras, quibus pro tuenda iustitia & republica dirigenda temporum causante malitia incessanter vrgemur, id modicum otii, quo negotiorum moles nos respirare concedit, Altissimo dedicare, vt in eius vineæ cultura, præsertim circa

præmissa, totum id quod sit possibile peragamus, in ipso non ab re fiduciam obtinentes, qui etiam in medijs fluctibus, quemadmodum est pollicitus, sponsam suam non deseret prædilectam; dissidiorumque vepribus ac vitiorum tribulis amputatis, fructus dulcis subscendet: quo in confortio illorum, quorum vices gerimus, fruamur in excelsis. Hæc igitur, redemptoris nostri postulato suffragio, effectui mancipantes, Nos Alphonſus Carrillo miseratione diuina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, ac regnorum Castellæ maior cancellarius, reuerendos in Christo patres dominos episcopos comprouinciales & suffraganeos nostros, ac nostrum & eorum capitula, illorumque venerabiles procuratores ad oppidum hoc de Aranda nostræ prouinciæ & Oxomensis diocesis, per nostras patentes literas fecimus conuocari, & vna cum eisdem suffraganeis, ac in suorum capitulorum præsentia prædictorum, super morum reformatione, aliisque Dei cultum & salutem tangentibus animarum, & Concilium prouinciale deliberauimus celebrare. In eo constitutiones edidimus infra scriptas, die videlicet quinta mensis Decembris de anno Domini 1473. quo die Concilium præfatum extitit terminatum.

C A P I T V L A.

I.

CANDOR æternæ lucis Christus Iesus, qui ecclesiam suam noua semper prole fecundat, sanctorum patrum & antistitum corda splendore suæ gratiæ clementer illustrauit: eosque in domo Domini ideo diuina potestas ceteris præferre ab alto decreuit, vt ab eis salutaria prodeant statuta, quibus velut vberimis fontibus tota terra irrigata redemptori nostro reddat fructum suum. Quia vero sacrorum Canonum institutis sancitum nouimus ab antiquo, per metropolitanos antistites cum suis suffraganeis prouincia-

lia

ANNO
CHRISTI
1473.

lia Concilia annis singulis debere celebrari: nos pari ratione sacro approbante Concilio statuimus, vt iidem metropolitani cum suffraganeis suis, per se vel per alios, quatenus de iure conceditur, ipsis legitime impeditis, Concilium prouinciale loco & tempore opportunis saltem in biennio, & episcopi nostri in suis dioccesibus synodale annuatim celebrent: & si hoc negligenter omiserint, tamdiu ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam archiepiscopus prouincialia, & episcopi synodalia Concilia celebrando purgauerint: adiicientes, quod episcopi qui vocati per metropolitanum ad eadem Concilia venire neglexerint, nisi canonico, euidenti & ineuitabili impedimento fuerint præpediti, eo ipso similiter ab ingressu ecclesiæ per tres menses sint suspensi: & nihilo minus sic impediti, vt præmittitur, procuratores suos sufficientes & instructos ad ea quæ in Concilio expedienda erunt, & cum quibus de impedimento huiusmodi fidem & probationem indubiam faciant, mittere teneantur: alias ipso facto eandem suspensionem & ducentorum florenorum pœnam incurrant, expensis Concilii applicandam.

II.

Arma militiæ nostræ aduersus spirituales nequitias maxime consistunt in fide. Hæc enim lapis angularis est, & fundamentum totius nostri operis. Ideoque volentes æternam salutem adipisci, oportet de fide & moribus esse eruditum. Quapropter vniuersis ac singulis parochialium ecclesiarum rectoribus per nostram prouin-

Concil. Tom. 34.

E

ciam vbilibet constitutis sacro approbante Concilio præcipimus, vt de cetero habeant in scriptis articulos fidei & præcepta decalogi, ecclesiæ sacramenta, species vitiorum & virtutum; & diebus Dominicis a septuagesima vsque ad Dominicam in passione exclusiue, solenniter in suis ecclesiis publicent ipsa, & publicari faciant. Clerici vero contrarium facientes, duorum regalium pro qualibet Dominica quam prætermiserint, pœnam incurrant, medietatem huius pœnæ sequenti Concilio, medietatem vero fabricæ illius ecclesiæ in qua publicatio debuisset fieri, irremissibiliter applicandam.

III.

Agri dominici cultura non est indignis operariis committenda, sed illi dumtaxat conducendi sunt in domo Domini, qui secundum Apostolum sciunt quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum, & inter lepram & non lepram discernere nouerint. Ideoque sacro approbante Concilio statuimus, nullum ad sacros ordines de cetero promouendum, nisi sciat latinaliter loqui. Quia tamen plerumque contingit ob defectum, negligentiam vel dolum eorum quibus ab episcopis ordinum examinatio committitur, quod indocti & omnino ignari, tam iuris dispositione quam earumdem constitutionum tenore, aliasque indigni vt digni & idonei prædictis episcopis præsentantur, sicque per eos ad sacros ordines promouentur. Nos religionis nostræ adytum peruigili cura custodire volentes, episcopos

ANNO
CHRISTI
1475.

per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi hortamur, & in virtute obedientiæ monemus, quatenus si prædictorum ordinum celebrationi, & promouendorum ad sacros ordines examini personaliter non adfuerint, duos saltem viros idoneos scientia & moribus approbatos deputent, quibus officium examinationis pariter committant, iniungendo eisdem sub excommunicationis pœna, vt onus hoc sibi creditum fideliter exequantur, nec quidquam dolo, prece, negligentia, munere, vel alias indebite agant. Prælati autem sacrum ordinem per seipsos contra prædictam prohibitionem * non scientes loqui latinaliter conferentes, præter pœnas a iure statutas, a quorumcumque sacrorum ordinum, quos tali contulerint, ipsumque indigne promotum ab executione suscepti ordinis: examinatores vero in præmissis culpabiles ab officio & beneficio per annum nouerint se suspensos, nisi ex causa rationabili & multum necessaria, vt in dicta constitutione continetur, cum eisdem promotis prælati viderint dispensandum.

* f. non
sciētibus

I V.

Vt non vituperetur ministerium nostrum, melius est in domum Dei paucos ministros idoneos adire, quam plures & indignos. Quoniam autem plerumque contingit, vt clerici aliarum dicecesium excommunicati, quidam suspensi, vel interdicti, seu alias inhabiles, propriam patriam deferentes, in nostras se transferant regiones, ibique incogniti diuina officia celebrare nitantur:

Nos fidelium salutem animarum, ubi maius vertitur periculum, consulere volentes, vniuersis ac singulis archiepiscopis, vicariis, rectoribus, capellanis, clericisque curatis & non curatis per nostram provinciam vbilibet constitutis, nostro approbante Concilio præcipimus, ne de cetero huiusmodi clericos ad sanctæ matris ecclesiæ sacramentorum administrationem recipiant, aut in suis ecclesiis ministrare permittant, nostra vel episcoporum, in quorum dicecesi moram traxerint, non obtenta atque edocta commendationis licentia. Si vero secus fecerint, triginta regalium poenam eo ipso incurrant, dimidium fabricæ suarum ecclesiarum, dimidium vero pro expensis futuri sequentis Concilii applicandum.

V.

Gloriosum sacrosanctæ ecclesiæ corpus ab æterna Dei Patris prouidentia admirabiliter ordinatum, nullam iure in se deformitatem continere debet. Nos vero qui prælationis infula, licet immeriti, nutu diuino altius euecti sumus, tanto honestatis & vitæ fama inter alios præluere tenemur, velut sidera in firmamento cæli, quanto maiora sumpsimus de manu Domini, quatenus & membra per bona opera suo capiti correspondant. Quia igitur per exteriorem habitum, qui qualisve interior prælatorum ornatus esse debeat, significatur, prædecessorum nostrorum hortamenta sectantes statuimus, sacro approbante Concilio, vt archiepiscopi & episcopi veste lineæ superiori, vulgariter roqueto nuncupata, in

ANNO
CHRISTI
1473.

publico semper vtantur. Sericas vero vestes qualescumque, aut breuitate notandas, nec non sotulares albos ipsis præsentium tenore prohibemus. Contrarium vero facientes viginti florenorum aureorum pœnam qualibet vice ipso factò incurrant, dimidietatem ipsius pœnæ fabricæ ipsarum ecclesiarum, dimidietatem vero pro expensis Concilii sequentis irremissibiliter applicandam. In mensa vero prælatorum omnimoda seruetur honestas, & sacre scripturæ legantur, ita videlicet, vt fauces sumant cibum, & aures esuriant verbum Dei.

VI.

Ceterum ne clerici postquam in sacris ordinibus fuerint constituti, aut beneficiati extiterint, sericum, præterquam ab interiori futura chlamydis aut capuciolorum, quæ vulgariter forratæ appellantur, nec rubeas seu claras virides vestes induere, aut caligas eiusdem coloris, seu sotulares albos, vel borsegnes albos vel rubeos, nisi cum nigris desuper sotularibus dumtaxat calciare de cetero præsumant, sacro approbante Concilio præsentis constitutionis tenore prohibemus. Clerici autem contrarium facientes, si in metropolitana aut cathedralibus ecclesiis beneficiati fuerint, per decem dies qualibet vice eo ipso portione sua multentur. Alii vero clerici extra prædictas ecclesias beneficiati duorum florenorum pœnam qualibet vice irremissibilem incurrant, dimidietatem fabricæ illius ecclesiæ in qua beneficiati existunt, dimidietatem vero pro teste synodali hoc exequente applicantes. Si tamen beneficiati non fuerint, vnus

floreni pro teste prædicto pœna puniantur. Decani nihilo minus & alii ad quos id pertinet, si multiplicationem prædictam remiserint quoquo modo, ipso facto a diuinis per mensem qualibet vice noverint se suspensos.

VII.

Cælestis hierarchiæ rex, qui sua mundum inefabili prouidentia plasmauit, ita quidem actus nostros in beneplacito suo direxit sanctæ maiestatis, ut & laboris & requiei dies non immerito destineret. In illis enim Dei populus in sudore vultus sui vesceretur pane suo, in his fatiscentia membra a seruili opere detracta, Deo offerre curaret. Eapropter nos prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes, sacro approbante Concilio, diebus Dominicis & festiuis ab omni seruili opere fideles quiescere iubemus: nec liceat cuiquam rusticalia seu artificialia opera exercere, aut agros colere, nisi urgente necessitate, vel euidenti pietatis causa, & hoc de licentia sui sacerdotis. Infideles vero præfatis diebus officiis suis publice non utantur. Contrarium vero facientes, per iudices, officiales, vel alios ad quos spectat, legitime puniantur. Qui si negligentes in hoc fuerint, grauiter puniantur: si vero dolo vel precio contrarium permiserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

VIII.

Locus ob-
scurus.

Quamuis omnis gloria * aspira, cum ad æternam salutem abintus esse debeat, verum quia militamus illi, cum quo omnis pulcritudo agri est, vilibus vestibus uti non debemus. Absurdum ergo &

ANNO
 CHRISTI
 1473.

reprehensibilem quorundam clericorum abusum, qui lugubres & luctuosas vestes induunt, & flebiliore quam suæ congruit honestati, ex eo se reddunt, quia parentes consanguineique eorum & amici corruptibilem carnis nostræ molem deponentes, ad æternam patriam de præsentis exilii miseria conuolarunt, penitus abolere volentes; cum & secundum sententiam ore benedicto prolatam, qui credit in Christum, etiam si mortuus fuerit, ^{Ioan. 11.} viuet: præsentis constitutionis serie, sacro approbante Concilio statuimus, vt vltius luctuosas vestes induere clerici in sacris ordinibus constituti vel beneficiati nostræ prouinciæ non audeant. Contrarium vero facientes eo ipso a perceptione fructuum suorum beneficiorum per tres menses qualibet vice sint suspensi, * medietatem prædictorum fructuum pro expensis sequentis Concilii, medietatem vero pro teste synodali eos accusante applicandam. Episcopi autem & alii prælati præmissa obseruare teneantur: & si contra fecerint, viginti florenorum poenam pro qualibet vice eo ipso incurrant Concilio sequenti applicandam.

I X.

Tristissimo impellimur animo recensere turpis conditionis fœdissimum scelus, quo & clerici in conspectu populi contemptibiles redduntur, iramque diuinæ vltionis sibi thesaurizant, & reuerendissimum illud serenissimumque Christi corpus omnem mundi pulcritudinem excellens, sacerdos pollutis manibus (proh pudor) tractare non formidat, dicente Domino: *Discedite a me* ^{Psalms. 6.}

Iſai. 52.

*omnes qui operamini iniquitatem. Et alibi: Munda-
mini qui fertis vasa Dei.* Ideoque prædeceſſorum
noſtrorum veſtigiiſ in hærentes, ſacro approbante
Concilio ſtatuiſmus, vt quicumque clerici in ſacriſ
ordinibus conſtituti, ſeu beneficiati, ſi poſt duos
meſes poſtquam ſuper hoc moniti aut requiſi-
ti fuerint nominatim, concubinam ſeu concubi-
nas publice tenuerint, vel dimiſſam ſeu aliam ad-
miſerint; ſi beneficiati exiſtant, tertia parte fru-
ctuum beneficiorum omnium quæ pro illo tem-
pore obtinuerint, ipſo factò penitus ſint priuati.
Si vero per alios duos meſes, duos prædictos im-
mediate ſequentes, in eodem crimine continuaue-
rint vitam fœdam, alia tertia parte fructuum no-
uerint ſe priuatos. Quod ſi forte, Dei timore con-
tempto, per alios duos meſes poſt quatuor par-
tes immediate ſequentes in peccato perſtiterint
memorato, reliqua tertia parte fructuum ipſos pri-
uamus omnimode. Antedictas vero partes fru-
ctuum, & ipſarum quamlibet in cathedralibus &
collegiatis eccleſiis, quoad bona quæ de commu-
ni menſa fuerint, ad communem menſam capitu-
li, aliæ vero pro expenſis ſequentis Concilii: & in
parochialibus eccleſiis medietatem fabricæ earum,
alteram vero medietatem prædicto Concilio ap-
plicandam. Quod ſi forte nec adhuc ad cor red-
ierint, ſed præſens noſtrum contemnentis man-
datum, ſe oſtenderint tam execrandæ turpitudi-
nis amatores, ſuis prælatis prædictis & ipſorum
cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub ani-
marum ſuarum periculo diſtriçte præcipimus &
manda-

ANNO
CHRISTI
1473.

ANNO
CHRISTI
1473.

mandamus, quod infra quatuor menses a supradictis sex mensibus numerandos, transgressores prædictos qui concubinas non dimiserint, easdem ulterius non admissuri, nec aliam aliquam recepturi, omnino beneficiis suis priuent, ipsosque in limo peccatorum tamdiu fixos, donec se correxerint, & postea per quinque menses inhabiles esse denuntient ad superiores ordines & ad quæcumque ecclesiastica beneficia obtinenda. Volumus etiam, quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis priuatus fuerit modo prædicto, manus rapaces ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eius partem*, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possint absolui, nisi de sic occupatis restitutione integra, & beneficiorum quibus priuati fuerint, vt præmittitur, dimissione plenaria, prius factis. Verum quia peccata inulta non vult dimittere Dominus ultionum, statuimus dicto approbante Concilio, quod clerici non beneficiati, tam sacerdotes quam diaconi & subdiaconi, seu inferiores clerici, qui non erubescunt concubinas publice detinere, si sacerdos fuerit, capellaniam perpetuam vel temporalem tenere vel habere non possit, & vsque ad vnum annum, postquam se de prædicto peccato plene correxerit, ad obtinendum ecclesiasticum beneficium sit inhabilis & indignus. Diaconi & subdiaconi ac minores clerici vsque ad annum post correctionem iam dictam sint ad superiores ordines inhabiles, & ad quæcumque beneficia ecclesiastica obtinendum. Si vero adhuc incorrigibiles extiterint,

procedatur per alia iuris remedia contra ipsos. Et quia maiori culpæ iusto Dei iudicio maior debetur & pœna, statuimus, vt quicumque in tam profundum peccatorum deuenerint, quod publice concubinam seu concubinas detineant infideles, aut moniales, si beneficiati fuerint, per duos menses a die publicationis huius constitutionis in cathedralibus ecclesiis faciendæ ipso facto priuati sint beneficiis obtentis, cuiuscumque conditionis beneficia ipsa existant, & reddantur inhabiles ad beneficia quæcumque obtinenda. Si vero beneficiati non fuerint, ad suscipiendos sacros ordines & ad obtinenda beneficia sint penitus inhabiles & indigni, ac tam beneficiati, quam non beneficiati, qui eas sic detinere præsumpserint, per suos prælatos per biennium ad minus in carcere detrudantur, quibus per diœcesanos pœnæ graues aliæ, prout discretioni suæ videbitur, imponantur. Si tamen hi clerici ad cor redeuntes vere pœnituerint de peccato, concedimus quod ipsorum diœcesani cum eis post biennium dumtaxat a sua correctione numerandum possint, quoad ordines & simplicia beneficia, misericorditer dispensare. Volumus insuper & mandamus, quatenus prælati omnes & singuli in suis diœcesibus per viros probos & timentes Deum diligenter inquisitionem, quotiens expedire viderint, faciant; qui, quot, quales, & vbi fuerint præmissa crimina committentes; atque ad pœnas suprapositas in ipsos exequendas insurgant viriliter, vt domus Dei strenui zelatores; & tam ipsi clerici in publico concubi-

ANNVS
CHRISTI
1475

natu decedentes, quam ipsæ concubinæ, ecclesiastica careant sepultura. Volumus insuper quod collatio cuiuscumque beneficii facta clerico, qui tempore collationis sibi factæ, aut super duos menses ante vel post fuit, est, aut fuerit publicus concubinarius, sit nulla; & quod collatores beneficiorum in literis collationum hoc apponi faciant expresse. Si tamen (quod Deus auertat) facti episcopi, prælati concubinas publice tenuerint, tam diu a fructuum suarum dignitatum perceptione sint suspensi, donec eas realiter dimiserint.

X.

Cum in constitutione nostra quæ incipit, Agri dominici, contineatur, nullum ad sacros ordines promovendum, nisi latinaliter sciat loqui, id etiam summa obseruantia cauendum est in collationibus parochialium ecclesiarum. Nam cum ars artium sit regimen animarum, pari ratione sacro approbante Concilio statuimus, nullum de parochiali ecclesia debere prouideri, nisi saltem latinaliter sciat loqui. Attendentes etiam, quod quanto crescunt dona, tantum etiam rationes crescunt donorum, eandem constitutionem ad canonicos tam metropolitanarum, quam cathedralium nostræ prouinciæ ecclesiarum, & ad maiores post canonicatus earundem ecclesiarum dignitates extendi tenore præsentium eodem approbante Concilio volumus & inhibemus, nisi ex causa multum euidenti & necessaria cum ipsis canonicis & dignitatibus prælati viderint dispensandum.

Concil. Tom. 34.

F ij

XI.

ANNO
CHRISTE
1473.

Cedit in opprobrium nostræ religionis, quod ministri ecclesiæ adeo vitam degere inhonestam non verentur, vt etiam otium amplectentes, in vilipendium sui ordinis se immisceant ludis inhonestis: ex quibus quanta periuria, scandala, homicidia & mala sequuntur, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes ergo paterno consilio, vbi discordiarum materiam obrepere sentimus, dispendiis obuiare futuris, ludum taxillorum publice vel occulte vniuersis clericis in sacris ordinibus constitutis, siue etiam beneficiatis nostræ prouinciæ, sacro approbante Concilio prohibemus. Contrarium vero facientes triginta regalium qualibet vice pœnam incurrant, medietatem fabricæ suarum ecclesiarum, medietatem vero expensis sequentis Concilii applicandam.

XII.

Magna mentis amaritudine referimus, quod nonnulli nostræ prouinciæ clerici in presbyteratus ordine constituti, sacramentum eucharistiæ, in quo spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, post susceptum sacerdotalem ordinem, prout tenentur, in animarum suarum periculum & diuini cultus detrimentum, celebrare contemnunt. Ideo sacro approbante Concilio statuimus, vt clerici per nostram prouinciam constituti, cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis existant, postquam presbyteratus ordinem ascenderint, quater in anno Missam deuote per se saltem celebrent, nisi de consilio sui prælati duxerint absti-

ANNO
 CHRISTI
 1473.

nendum. Contrarium vero facientes triginta re-
 galium qualibet vice pœnam incurrant, Concilio
 sequenti & synodali testi æqualiter applicandam.
 Hortamur præterea nostræ prouinciæ prælatos
 ob reuerentiam Iesu Christi, vt ter in anno ad-
 minus celebrent. Si vero secus egerint, grauiter
 in sequenti Concilio arguantur.

XIII.

Prædicationis officium, quod animarum pa-
 bulum est spirituale, illis dumtaxat est commen-
 dandum, qui non ambitione temporalis substan-
 tiæ, sed animarum zelo intendant & profectui.
 Verum quia prælatorum (vt ita dicamus) incu-
 ria plures religiosi & clerici, ac alii nonnulli per ec-
 clesias laxatis habenis discurrunt, & plebibus va-
 ria & ridiculosa exponunt, & gratias concedunt
 innumeras pro exigua quantitate, quas nec im-
 mensa diuinæ largitatis clementia, nec sacra sum-
 mi pontificis auctoritas consuevit erogare, in no-
 stræ religionis vilipendium & fidelium pericu-
 lum animarum: Nos hostiles calliditates & astu-
 tias in Domino præcludere cupientes, sacro ap-
 probante Concilio statuimus, ne de cetero qui-
 cumque prædicatores, tam religiosi quam sæcula-
 res, per nostram prouinciam gratia prædicationis
 officium exercendi discurrere audeant quomodo-
 libet, nostra & episcoporum, in quorum diœcesi
 moram traxerint, non obtenta & edocta licentia.
 Quæstores vero qui sæpe non quæ Iesu Christi,
 sed quæ sua sunt quærunt, etsi bullas apostolicas,
 aut gratiarum concessiones asserant se habere, ni-

hilo minus teneantur eas diocesano diuulgandas præsentare; qui postquam illas examinauerit, continentiam & veritatem ipsarum bullarum seu indulgentiarum plene deductam per literas suas eisdem quæstoribus suis exhiberi curabit. Iidemque quæstores sola lectione huiusmodi literarum per rectores ecclesiarum, vbi eos declinare contigerit, contenti, nihil aliud verbo tenus vel scriptis per se vel per alios proponere audeant, cum & prædicta instructio satis sufficiens sit ad fidelium animos pio operi inducendum. Prælati vero qui contra præsentis constitutionis tenorem prædicationis licentiam contulerint, per mensem ab ingressu ecclesiæ, & officiales seu vicarii eorundem in præmissis delinquentes per annum ab officio ipso facto sint suspensi. Quæstores nihilo minus contrarium facientes per tres menses de mandato diocesani in carcerem detrudantur, & sic ablata duplicata restituant, fabricæ ecclesiarum & cameræ & prælati æqualiter applicanda. Rectores præterea ecclesiarum id obseruare teneantur, & hanc nostram constitutionem in tabula patenti & præcedenti in suis ecclesiis teneant, ne quisquam ignorantia præsidium sibi paret. Qui si secus egerint, triginta regalium pœnam, vt præmittitur, diuidendam eo ipso incurrant.

XIV.

Vt qui susceptæ suæ professionis habitum dedignantur, priuilegiis gaudeant sibi concessis, nec nostri iuris auctoritas, nec ordo exigit rationis. Frustra namque auxilium legis inuocat, qui com-

ANNO
CHRISTI
1475.

mittit in legem. Quia vero sæpe contingit, vt clerici in minoribus constituti, tam coniugati quam non coniugati, prætextu suorum clericatum graua & enormia committant, quæ in animarum suarum periculum & eiusdem ordinis opprobrium cedunt: Nos volentes cauere, ne fauore ecclesiasticæ libertatis quidquam illicitum attentetur, quod vel diuinam offendat maiestatem, vel scandalum inducere possit, recolendæ memoriæ Petri de Luna cardinalis & legati vestigiis inhærentes, sacro approbante Concilio statuimus, vt de cetero prædicti clerici, tam coniugati quam non coniugati, tonsuram quantitatis vnius regalis, & vestem superiorem non virgatam neque partitam, ad medietatem tibiæ vel fere declinantem deferant congruentem. Non autem deferentes huiusmodi habitum, si coniugati fuerint, eo ipso: si vero non coniugati, & excessiuis & enormibus se ingesserint, & ea frequentauerint, priuilegium omnino amittant clericale. Hortamur præterea vniuersos episcopos in virtute sanctæ obedientiæ, nostrisque & eorum officialibus, vicariis & loca tenentibus quibuscumque per nostram prouinciam vbilibet constitutis, sub excommunicationis pœna districte præter pœnas a iure statutas præcipiendo mandamus, vt prædictos clericos criminaliter, vt præfertur, delinquentes, ad curiam ecclesiasticam propter priuilegium clericale per sæculares iudices remissos, debita animaduersione, prout qualitas exegerit, puniant & castigent; impunitos vero non relaxent, absoluant, vel abire permittant. Pro-

motores vero & fiscales, qui ad accusandum huiusmodi clericos iura aut prælati monita præponunt, si malitiose ab accusando se subtraxerint vel negligenter fecerint, aut quidquam dolo omiserint, quo minus huiusmodi executio tolli seu impediri possit, saltem vel differri, eo ipso ab officio suo sint priuati, alias arbitrio superiorum puniendi. Prælati præterea nostræ prouinciæ infra tres menses a die præsentis publicationis teneantur facere coram se præsentari literas minorum ordinum huiusmodi clericorum, nihil exigentes pro præsentatione ipsarum, præterquam vnum marabetinum pro notario, pro cuiuslibet tituli præsentatione.

XV.

Vt digne ambulemus in vocatione qua vocati sumus, non solum morum & vitæ alios præcellere debemus honestate, sed etiam & ecclesiæ libertatem tueri debemus. Absurdum nempe & nostræ religioni dispar & incongruum videtur, vt regale genus sacerdotum, cum temporalibus dominis militariter viuendo, in eorum seruitutem redigatur. Ideoque sacrorum patrum vestigiis inhærendo, nostro approbante Concilio hortamur vniuersos & singulos nostræ prouinciæ episcopos, ob reuerentiam & honorem suarum pontificalium dignitatum; ceterisque ecclesiæ in sacris ordinibus constitutis aut beneficiatis districtè præcipimus, ne cum dominis sæcularibus, cuiuscumque gradus, status, ordinis seu conditionis existant, exceptis regia maiestate & regiis personis, vitam militarem ad auxilia armorum præstanda ducere audeant

dissolu-

ANNO
CHRISTI
1473.

dissolutam, seu ab eis terras, stipendia & salaria vel pecunias quascumque, vt armis per se vel per alios deseruiant, cum equitum seu peditum gentibus, quomodolibet exigere vel leuare præsumant. Qui si secus egerint, tam diu ab officio & beneficio sint suspensi, donec absque omni simulatione & fictiōne a prædictis realiter cessauerint; fructibus beneficiorum suorum medio tempore prouenientium Concilio sequenti applicandis.

XVI.

Cum secundum legitimas sanctiones non sit dubium eos in legem committere, qui verba legis amplexi, contra eius nituntur voluntatem: & quia tempore, quo sacrorum Canonum decretis nuptiarum celebratio interdicitur & carnalis copula prohibetur, nonnullos laicos nubere ac carnaliter commisceri, ac proinde conuiuia publica, strepitus & choreas facere, parentes quoque & amicos inuitare, & cum histrionibus & ioculatoribus solenniter nuptias celebrare, & ad ecclesias sic* incidere plerumque contingit: Nos contententes quod vera sacrorum Canonum intentio fuit, non tam ecclesiæ solennitates & nuptiales benedictiones, quam carnales commixtiones prohibere, perniciosam consuetudinem huiusmodi diuellere cupientes, sacro approbante Concilio, commixtiones prædictas, strepitus, choreas, ioculationes & alias solennitates ac conuiuia, temporibus quibus solennia ecclesiæ interduntur, & cessant nuptiales benedictiones, fieri de cetero prohibemus, statuentes, vt qui contra

*f. incedere

huiusmodi nostræ constitutionis tenorem nupserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; & nihilo minus clerici qui præfatis nubentibus Missas dixerint, decem florenorum pœna puniantur. Hanc autem nostram constitutionem qualibet prima Dominica aduentus & quadragesimæ a rectoribus parochialium ecclesiarum in suis ecclesiis, dum populus ad diuina conuenerit, sub decem regalium pœna, qualibet Dominica quam prætermiserint, publicari mandamus, prædictis pœnis Concilio & synodali testi applicandis æqualiter.

XVII.

Vt iurgiorum materia & dubietatis occasio tollatur, quæ nonnunquam ex clandestinis desponsationibus solent euenire, sacrorum Canonum institutis proinde noscitur institutum, sponsalia publice in facie ecclesiæ coram populo solenniter celebrari. Nos vero iuxta canonicas sanctiones, sacro approbante Concilio, desponsationes clandestinas huiusmodi vel occultas fieri omnino de cetero prohibemus, statuentes, vt qui sponsalia huiusmodi clandestina contrahere præsumperint, nisi ad minus quinque testes ibidem adfuerint, per quos, dum opus fuerit, sponsalia prædicta probentur, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, & eisdem contrahentibus nuptiales benedictiones tamdiu denegentur, donec a sententia prædicta absolutionis beneficium assequantur. Clerici vero qui tali clandestinæ desponsationi interfuerint, præterquam si quin-

ANNO
CHRISTI
1473

que testes adfuerint; aut sic desponsatis benedictiones contulerint nuptiales, eo ipso ab officio & beneficio per tres menses sint suspensi; medietate fructuum ipso tempore de beneficio seu beneficiis suis prouenientium fabricis ecclesiarum, medietate vero expensis sequentis Concilii applicandis.

XVIII.

Quoniam nonnulli terrarum domini, & eorum locatenentes, nec non clerici & laici, aliique inferioris fortunæ viri, veræ salutis immemores, nedum suis contenti metis, manus suas extendere ad iniquitatem non formidant, ecclesias, Dei timore neglecto, vt possessiones beneficiorum pro tempore vacantium, seu vacare expectantium, obtineant, indebite occupant, detinent & incastellant, ipsaque possessiones more venalium rerum vendunt, & super ipsis indebite paciscuntur, ex quo plurima scandala, homicidia, & alia damna prodire sentimus, sed & diuina officia & ecclesiastica sacramenta impediuntur. Nos perniciosam hanc corruptelam penitus delere volentes, sacro approbante Concilio statuimus, ne de cetero prædictas ecclesias quispiam, tam laici quam clerici, cuiuscumque status, gradus, ordinis seu conditionis existant, incastellare, munire, vel quouis quæsito colore per se vel per alios, directe vel indirecte occupare, aut possessiones vendere vel emere, aut super ipsis illicite componere vel pacisci, vel de manu & posse incastellantium seu occupantium recipere præsumant. Contrarium vero

facientes, tam occupatores, incastellatores, venditores, illicitique compositores huiusmodi, etiam prætextu gratiarum expectatiuarum, & quarumlibet collationum, quam qui ipsis ad hoc auxilium, consilium vel fauorem dederint, vt præmittitur, sententiam excommunicationis & quinquaginta florenorum pœnam propter iniuriam ecclesiæ illatam quilibet ipsorum qualibet vice ipso facto incurrant. In ecclesiis vero sic occupatis, durante occupatione huiusmodi, clerici sub eadem excommunicationis pœna cessent a diuinis. Acceptantes autem, vt præfertur, delinquentes ea vice iure, si quod habebant ad ipsa beneficia, sint ipso facto priuati. Demum si consilio, auxilio, mandato vel fauore dominorum temporalium quorumcumque, vel eorum loca tenentium, quocumque nomine censeantur, occupatio, incastellatio, munitio, venditio seu compositio huiusmodi fieri contingat, vltra sententias & pœnas iam dictas, terræ ipsorum tamdiu ecclesiastico supponantur interdicto, donec debita præcedente satisfactione, ab occupatione prædicta desistentes, & de pœnis prædictis aliasque satisfacientes, arbitrio prælati relaxentur: dimidietatem vero prædictorum florenorum cameræ nostræ & episcoporum, in quorum diocesi prædicta fieri contigerit, dimidietatem vero expensis sequentis Concilii applicandam.

XIX.

Ab ecclesia, vbi redemptor noster Iesus, in cuius nomine omne genu flectitur, iugiter pro nobis im-

ANNO
CHRISTI
1475

molatur, turpitudine quæque merito est abolenda. Quia vero quædam tam in metropolitanis, quam in cathedralibus & aliis ecclesiis nostræ prouinciæ consuetudo inoleuit, vt videlicet in festis natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum Stephani, Ioannis & Innocentium, aliisque certis diebus festiuis, etiam in solennitatibus Missarum nouarum, dum diuina aguntur, ludi theatrales, laruæ, monstra, spectacula, nec non quamplurima inhonesta & diuersa figmenta in ecclesiis introducuntur; tumultuationes quoque & turpia carmina & derisorii sermones dicuntur, adeo quod diuinum officium impediunt, & populum reddunt indeuotum: Nos hanc corruptelam, sacro approbante Concilio, reuocantes, huiusmodi laruas, ludos, monstra, spectacula, figmenta & tumultuationes fieri; carmina quoque turpia & sermones illicitos dici tam in metropolitanis quam cathedralibus, ceterisque nostræ prouinciæ ecclesiis, dum diuina celebrantur, præsentium serie omnino prohibemus, statuentes nihilo minus, vt clerici qui præmissa ludibria & inhonesta figmenta officiis diuinis immiscuerint, aut immisceri permiserint, si in præfatis metropolitanis seu cathedralibus ecclesiis beneficiati extiterint, eo ipso per mensem portionibus suis mulctentur: si vero in parochialibus fuerint beneficiati, triginta; & si beneficiati non fuerint, quindecim regalium pœnam incurrant, fabricis ecclesiarum & testi synodali æqualiter applicandam. Per hoc tamen honestas repræsentationes & deuotas, quæ populum ad de-

uotionem mouent, tam in præfatis diebus quam in aliis non intendimus prohibere.

ANNO
CHRISTI
1475.

XX.

Præterea, quoniam suadente pacis inimico & bellorum satore, qui vineam Domini exterminare nititur, lites & contentiones inter nonnullos laicos ac etiam clericos obrepere solent, per quas ad inuicem se defidiant & bella aggrediuntur, ex illisque temere hinc inde certantium homicidia sequuntur; etsi hæc ipsa duella de iure, aliasque regni maiestatis prohibitione interdicta sint: Nos tamen animaduertentes, quod fratrum in fratres exarsio in diuinæ maiestatis offensam & euidentis vergitur periculum animarum; sanctorum patrum vestigiis inhærentes, sacro approbante Concilio statuimus, vt qui in pugna, certamine, torneamento huiusmodi decesserint, aut a pugna vulnerati euaserint, adeo quod postea ex eo ipso ab hac luce migrare contigerit, etiamsi ante obitum receperint poenitentiae sacramentum, ecclesiastica ipso facto careant sepultura, & diuina officia pro ipsis non dicantur, nec oblationes admittantur. Clerici vero eos sepelientes per sex menses ab officio & beneficio sint suspensi, fructibus vero medio tempore prouenientibus a beneficiis huiusmodi fabricæ ecclesiarum suarum & Concilio sequenti æqualiter applicandis.

XXI.

Quoniam non sumus filii ancillæ, sed liberæ, quia mater nostra Ierusalem libera est, & ab omni seruitute penitus exempta, libertatem nostram tue-

ANNO
CHRISTI
1473.

ri tenemur. In quibusdam tamen terrarum parti-
bus adeo quorundam magnatum, potentum,
procerum & dominorum temporalium vtriusque
sexus, communitatum quoque, iustitiariorum &
aliorum laicorum cupiditas excreuit, vt nedum
quod redditus, decimæ, iura prælati & clero de-
bita non recuperentur, recipiantur, arrendentur,
exigantur & leuentur, diuersimode prohibent;
sed etiam bladi, annonæ, vini, olei, leguminum,
armentorum, pecorum, pecudum & aliorum ter-
ræ fructuum, tam decimarum quam primitiarum
tracturas, exitus, redditus, nec non transitus a loco
in locum vetant & interdunt in ecclesiasticæ li-
bertatis derogationem, iacturam & detrimentum.
Nos attendentes, quod Domini est terra & ple-
nitude eius, & ipse in signum & recognitionem
dominii de terræ frugibus decimas & primitias sibi
pro suis ministris qui habitant in domo sua, inte-
gras reseruauit, & quod non licet laicos contra re-
gis regum sanctionem decimas & primitias Chri-
sto dedicatas sibi ipsis vendicare, vel quomodoli-
bet detinere: statuimus sacro approbante Conci-
lio, ne de cetero magistri ordinum, duces, mar-
chiones, comites, magnates, potentes, commu-
nitates, vniuersitates, iustitiiarii, castellani, officia-
les, rectores, laici vtriusque sexus, cuiuscumque
status, gradus, ordinis, præminentia vel condi-
tionis existant, & quacumque præfulgeant digni-
tate, seu auctoritate fungantur, tractus, ductus,
exitus, redditus, ingressus & regressus fructuum
quorumcumque ad prædictas decimas & primitias

spectantium de iure seu consuetudine, per se vel per alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, aut quouis quæsito colore impediunt, seu impediri faciunt, quo minus nos prælati nostræ provinciæ, ecclesiæ, decani & capitula, & aliæ ecclesiastica personæ, & fructuum prædictorum arrendatores, possint & valeant de ipsis libere vti & gaudere. Contrarium vero facientes, si magistri, duces, marchiones & comites fuerint, & infra quindecim dies, postquam eandem prohibitionem fecerint, aut fieri iusserint, non reuocauerint, & libere fructus, decimas atque primitias, & alios ecclesiasticos redditus huiusmodi ab eorum dominiis & districtibus extrahi non permiserint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant: eademque sententia ceteri inferiores prædicti in præmissis culpabiles etiam innodentur, si infra sex dies ab eadem publicatione, vt præmittitur, numerandos, reuocationem & liberam permissionem præfatis non fecerint realiter & cum effectu, terræque ipsorum dominorum & magnatum, & loca vbi huiusmodi prohibitiones fieri contigerit, tamdiu ecclesiastico subiaceant interdicto, donec a præmissis desistentes, & arbitrio prælati satisfaciunt, beneficium absolutionis & interdicti relaxationem obtinere mereantur.

XXII.

Raptores, quos diuinus timor a malo non reuocat, temporali saltem pœna merito sunt puniendi. Ideoque sacro approbante Concilio statuimus, vt tales scelerati quamdiu ab hac luce migrauerint,
eccle-

ANNO
CHRISTI
1475.

ecclesiastica careant sepultura. Si vero fuerint sepulti, exhumentur, etiamsi huiusmodi raptores ante obitum pœnitentiæ sacramentum receperint, & de rapinis satisfecerint: nec pro eis diuina dicantur, aut oblationes admittantur. Adicientes nihilo minus, quod famosi aut publici raptores ultra pœnas prædictas ipso iure sint intestabiles, nec ex testamento capere possint: filiique eorum sint inhabiles ad beneficia ecclesiastica obtinenda. Clerici vero hanc nostram constitutionem infringentes, quinque florenorum pœnam incurrant pro expensis Concilii, alias & superioris arbitrio puniendi.

XXIII.

Quia vna & eadem est sancta mater ecclesia, statuimus sacro approbante Concilio, vt si super fractione, violatione aut derogatione libertatis seu immunitatis ecclesiæ, & bonorum immobilium ecclesiarum occupatione, prælatus seu officiales vel vicarii aliquem excommunicauerint, & voluerint quod huiusmodi excommunicatio in aliis diœcesibus obseruetur; tunc episcopi qui per eum fuerint requisiti, receptis literis suis, illas pro plena probatione quantum ad hoc habentes, nulla partis allegatione vel exceptione admissa, teneantur excommunicationem prædictam in suis diœcesibus obseruare, & obseruari facere & publicari. Si tamen decreuerit ad interdictum procedere, qualecumque tale sit interdictum, & voluerit quod alii prælati illud obseruent, vtpote quia delinquens declinat ad eorum diœceses, vel habet in eisdem

terras, dominia, vel districtus, tunc prælatus vel iudex seu officialis teneantur mittere ad conuiciniorum episcopum vel metropolitanum processum huiusmodi, suo & duorum peritorum nominibus roboratum, qui, constituto sibi de legalitate processus, simpliciter & de plano, absque citatione seu audientia partis, literas suas testimoniales exinde impendant. Quo facto, omnes prælati super hoc requisiti teneantur interdicta huiusmodi in suis diocesis iuxta formam processus obseruare & obseruari facere.

XXIV.

Sanctorum patrum statuta proclamant, laicis disponendi de rebus ecclesiasticis nullam esse attributam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. In tantum tamen laicorum audacia inoleuit, quod in alienam messem falcem suam mittere non formident; taliaque præsumunt, per quæ ecclesiastica violatur libertas. Nam vt efficax rerum mater experientia manifestat, nonnulli domini temporales, iustitiarum, rectores, ciuitates vel communitates banniunt & expellunt de ciuitatibus, villis & terris suis, & in quibus curam gubernationis exercent, clericos in metropolitanis, cathedralibus & aliis ecclesiis dignitates & beneficia obtinentes, & aliis ingressum & aditum suarum ecclesiarum interdiciunt in diuini cultus detrimentum, & ecclesiasticæ libertatis derogationem. Ideo sacro approbante Concilio statuimus, vt nullus sæcularis dominus temporalis, cuiuscumque status aut dignitatis seu con-

ANNO
CHRISTI
1473

ditionis existat, iustitarius, rector ciuitatis, vel communitas, seu curam gubernationis exercens, vel quiuis clericus expellat vel banniat clericos supradictos, vel venientibus aditum liberum deneget, quo minus in suis ecclesiis possint deseruire. Si vero contra prædicta vel eorum aliquod attentatum fuerit, propter expellentium, bannientium, vel eam admittentium culpam, ciuitas vel villa, in qua contra factum fuerit, ipso facto sit interdicta; & tamdiu in ea interdictum seruetur, donec expulsus vel bannitus fuerit restitutus, & veniens admissus, & de iniuria & damnis læso plene fuerit satisfactum.

XXV.

Ordinum collatio gratiose a sanctis episcopis est concedenda, cum præcipue ordo sit sacramentum spirituale. Præcipimus igitur vniuersis episcopis nostræ prouinciæ, vt pro conferendis ordinibus quibuscumque nihil penitus ante vel post, seu cum iidem ordines celebrant, exigant seu recipiant, nec ianitores, barbitonfores & alios officiales quidquam exigere seu leuare permittant, etiam pro sigillo & cera, sed gratis & liberaliter impendant. Notarii vero pro literis ordinum & reuerendis decem dumtaxat marabetinos recipere debeant; & si contra fecerint, quod receperint, duplicatum restituant sequenti Concilio applicandum.

XXVI.

Ad tollendas ambiguitates, sacro approbante Concilio declaramus, pœnas contra beneficiatos indictas locum sibi etiam vindicare in obtinenti-

Concil. Tom. 34.

H ij

bus parochiales ecclesias & dignitates quascumque, etiam maiores post pontificales.

XXVII.

Concedimus vniuersis episcopis nostræ prouinciæ, sacro approbante Concilio, vt a sententiis & censuris in præsentibus nostris constitutionibus latis & promulgatis singuli eorum in suis diocæsi- bus, satisfactione debita præcedenti, possint & valeant innodatos absolvere; idque nos in nostra diocæsi modo prædicto facere valeamus.

XXVIII.

Rursus coepiscopis nostris in virtute obedi- tiæ districte iubemus, vt infra duos menses a die ha- rum nostrarum constitutionum præsentis publica- tionis immediate numerandos, ipsas teneantur in suis diocæsi- bus in Synodis, si eas celebrauerint, a- lias in ecclesiis cathedralibus publicari facere. Et ni- hilo minus in capitibus archipresbyteratus vocatis rectoribus, verum post quadraginta dies a die hu- iusmodi publicationis immediate computandos, volumus & decernimus, sacro approbante Conci- lio, vt hæ nostræ constitutiones ligent, & ad sui ve- ram obseruantiam omnes & singulos, prout in eis- dem continetur, arctent & obligent.

XXIX.

Sancitum nouimus sanctorum patrum institu- tis, in prouinciali Concilio per singulas metropoli- tani & suffraganeorum diocæses synodales testes fore deputandos, qui diligenter inquirent quæ cor- rigenda & reformanda viderint, per eos in sequenti Concilio nuntianda. Nos vero statuta eadem sa-

ANNO
CHRISTI
1473.

luberrima reputantes, sacro approbante Concilio statuimus, vt per nos & suffraganeos nostros viri prouidi, fideles & honesti deputentur vltra prouinciales testes per nos & coepiscopos nostros in Conciliis designandos, qui sine iudiciali cognitione solcite inquirant per easdem diceceses, quæ viderint corrigenda & reformanda, eaque fideliter dicecesanis denuntient, qui per promotores & procuratores suos fiscales ipsa petere, prosequi & exequi teneantur, & nihilo minus illa verbo vel scriptis in forma authentica & sub virtute iuramenti referant & denuntient, recipientes primitus ab eisdem testibus & promotoribus, quod in officii prædicti executione fideliter se habebunt, corporale iuramentum. Si vero (quod absit) præfati testes & promotores fiscales in inuestiganda veritate eorum quæ sibi committuntur, dolo vel malitia a denuntiatione executioneque prædictis cessauerint quoquo modo, aut pœnarum prædictarum quidquam remiserint, aut super ipsis compositionem vel pactum fecerint, quo minus prædictæ constitutiones debitum sortiantur effectum, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, alias arbitrio Concilii puniendi. Nos præterea & nostræ prouinciæ episcopi pœnas pecuniales superius impositas a delinquentibus exigere & leuare facere, ipsasque fidei custodia sequenti Concilio reseruare, præter illas quæ iuxta dispositionem prædictarum constitutionum fabricis seu synodalibus testibus applicatæ sunt, quas ipsis ecclesiis & testibus integre & plenarie persolui facie-

mus, & facient, teneamur & teneantur. Publicata fuerunt hæ constitutiones in prædicto oppido de Aranda, die, mense & anno quibus supra, præsentibus ibidem reuerendis dominis Ioanne Arias episcopo Segobiensi, & Didaco de Mendoza episcopo Palentinensi, nec non Didaco Gundifalui canonico Giennensi, procuratore episcopi Giennensis, & Nunio Aluare cantore Conchensi, procuratore episcopi Conchensis, & Ioanne Gundifalui de Auila in decretis baccalaureo, procuratore episcopi Oxomensis, & Nunio Gundifalui capellano maiori & procuratore ecclesiæ Seguntinensis; & aliis pluribus episcopis & procuratoribus, qui huic publicationi in ecclesia sancti Ioannis eiusdem oppidi voluerunt interesse.

ANNO
CHRISTI
1472

A. archiepiscopus Toletanus.

De mandato reuerendissimi domini mei archiepiscopi, Petrus de Ponte eiusdem domini secretarius.

NOTA.

* *Concilium.*] Acta huius & quarumdam aliarum Synodorum Hispanicarum, quas supra suis locis inseruimus, ex archiuo Conchensi exscripsit in Hispania Valerius Serenius Belga anno Domini 1565. addiditque, eadem in archiuo Toletano haberi. Qua occasione eadem ad nostras manus deuenierint, supra diuersis in locis indicaui. Synodum hæctenus, vt puto, nullibi excusam, moribusque reformandis aptissimam, nec non Hispanicæ fidei ac religionis notam & indicem, huic editioni omnino inferendam esse putauit. Tu vero, lector amice, eadem vttere, frueri.



V I T A
INNOCENTII PAPÆ VIII.

ANNO
CHRISTI
1484.

Innocentius
quando pa-
pae electus.

INNOCENTIVS, antea Ioannes Baptista cognomento Cybo vocatus, patre Aarone equite aurato, sacri imperialis palatii comite, Neapolitano prorege & Ro-